am nomen adlusit; quod quidem & in danihel iuxta theodotionem scriptum est.
ut ab arboribus schinum & prinum ilicem uidelicet & lentisco scissio atque serratio
adulteris presbyteris decernatur; alioquin & in principio geneseos ab uiro
qui dicitur his appellatur mulier hissa; quasi quidem uirago eo quod
de uiro sumpta sit; pro baculo nuceo uirgam uigilantem aquila & symmachus;
theodotio uero amygdalinam transtulerunt; uigilat autem uirga cuncta po
puli peccata considerans & percutiat & corripiat delinquentes; unde &
apostolus scribit peccantibus; quid uultis in uirga ueniam ad uos an in
caritate & spiritu mansuetudinis; ista est uirga uel baculus de qua & dauid
loquitur; uirga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt; ad hoc enim
dominus corripit ut emendet; & quomodo nux siue amygdalum amarissimam
habet corticem & testa durissima cingitur ut detractis austerioribus & duris
fructus dulcissimus repperiatur; sic omnis correptio & labor continentiae
amara quidem uidetur ad praesens sed fructus parit dulcissimos; unde &
uetus illa sententia est; litterarum radices amarae fructus dulces; quidam
uirgam uigilantem atque nuceam intellegunt dominum de quo dicit isaias; exiet
uirga de radice iesse; unde & uirga aaron quae putabatur emortua in resur
rectione domini floruisse narratur; Et factum est uerbum domini secundo ad me dicens;
quid tu uides; & dixi; ollam succensam ego uideo & faciem eius a facie aquilonis;
& dixit dominus ad me; ab aquilone aperientur siue exardescent mala super omnes
habitatores terrae; quibusdam gradibus peccantibus tormenta tribuuntur
ut paulatim ueniant ad salutem; qui noluerint percutiente uirga emendari
mittuntur in ollam aeream atque succensam de qua plenius scribit hiezechiel;
quae a facie aquilonis accenditur babylonium regem significans & urbem hierusalem;

lt pulchraeque posuit consolata sunt.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
Bodleian Libraries UNIVERSITY OF OXFORD
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
UNESCO Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Bodleian Libraries
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bodleian_mslaudmisc417/0358